

Johann Fecht Carl Lembke


**De Vocatione Ministrorum Ecclesiae : Theses Theologicae, Martini Becani, Iesuitae, Manuali Controv. Lib. I. cap. XII. oppositae**

Durlaci: Mullerus, 1686

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn787862762>

Druck Freier  Zugang







In Tomo hoc XXXVII. Sunt

1. Jo. Schmid de Peccato. ad 1 Jo. III, 4.
2. — De libero Arbitrio. Jo. VIII, 36.
3. Seb. Schmid de script. S. ad 2 Pet. I, 19. 20. 21.
4. D. Damhaueri Aethera Sancta sui vindic.
5. Jo. Faust protri. de oratione divina ad Act. XVII, 28.
6. D. Georgij Heberlini fascic. Myrtha. Cant. I, 13.
7. Andreas Vivinius ad Psalmum II.
8. Jo. Schmid de Vita Aeterna.
9. Christiani Heg. Manipulus Thestii Prachtam sub B.  
Lugemamo propofitaru.
10. D. Martin Gejeri conformitas Iudaeo Papistica in  
doctrina de Deo Angelic & Homine.
11. Christoph Laur. Scheelfuhrer p. tr. de Chirismo.
12. Jo. Andr. Quenstedt de Persecutione Aeneid.
13. Gabrielis Wedderkopf de Atheismo Poonianom.
14. Michael Foeuffek de Secum naturalium Origine
15. —. De ordine script. S. prout ea tum. Nat. conc.  
mens. 2. 8.
16. & Jo. Fecht de Iudae Controversiarum.
16. a. —. de S. Trinitate
16. b. —. De Anti Chirso.
17. —. De Invocatione Sanctoru
18. —. De Purgatorio.
19. —. De Communione sub utray

20. D. G. Festus de Misa.  
 21. —. De sacramentis.  
 21. —. De vocatione Ministrorum Ecclesie.  
 22. —. De Celibatu eodem.  
 23. —. De Peccato.  
 24. Hoornbeeck de Theologia Praxi.  
 25. —. Sans postendit.  
 26. —. de Tentatione Dei.  
 27. —. De Autoritate N. Test.  
 28. —. De Pietate.  
 29. —. De Devotione.  
 30. —. De Meditatione Sacra.  
 31. } —. De Studio verbi divini.  
 32. } —. —. —. —. —. —.  
 33. —. De sensu divina gratia.  
 34. —. De Fiducia in Deo.  
 35. —. De Gaudio Spirituali.  
 36. —. De Zelo.  
 37. —. De Consilio.  
 38. —. De Ascensione Consilii.  
 39. —. De gloria Consilii celestis.  
 40. —. De Spiritu S.  
 41. } —. De Providentia.  
 42. } —. —. —. —. —. —.

42. }  
 43. }  
 44. }  
 44. }  
 45. }  
 46. }  
 47. }  
 48. }  
 49. }  
 50. }  
 51. }  
 52. }  
 53. }  
 54. }  
 55. }  
 56. }  
 57. }  
 58. }  
 59. }  
 60. }  
 61. }  
 62. }  
 63. }  
 64. }

42. } Floornbeck de Predestinationes.

43. }

44. }

44. b. —. De Sabbato.

45. —. De Ministerii acceptione.

46. —. De examine Ministrorum.

47. —. De eorum officio.

48. }

49. }

50. —. De Celestium Vita.

51. }

52. }

53. —. De Foedere Celestium.

54. —. De Mundo.

55. —. Ad Matts. xxiii, 37.

56. —. —. pl, 20. 21.

57. Joh. Coereji de divinitate Script.

58. } —. de Perfectione Script.

59. }

60. } —. de Foedere gratie et Vet. ac N. T.

61. }

62. } —. de eo quod Icy est.

63. }

64. —. De statu Humiliationis Christi.

65. Jo. Coaeji de Regeneratione et Resurrectione.  
66. ———. De Oblatione Christi.  
67. Wetstenij. De Unionis Personalis in Christo Forma,  
    Sine Effectu. etc.  
68. — Lucia Gercken de Forma Unionis Personalis  
    in Christo.  
69. ———. De Promissione Dei.  
70. ———. De Peccato in Spiritum S.  
71. Wetstenii de Praedest. Bonorum et malorum.  
72. Gius et Collegam Syllabus Controversiarum

V.

DE

VOCATIONE MINI-  
STRORUM ECCLESIAE,

THESES THEOLOGICAE,  
MARTINI BECANI, JESUITAE,  
Manuali Controv. Lib. I. cap. XII. oppositæ.

Quas

Ex publicis Praelectionibus

DOMINI  
JOANNIS FECHTII,  
SS. THEOL. LIC. SEREN. PRINC. MARCH. BAD.  
CONSIL. ECCLES. ET CONC. AUL. ILLUSTR. GYMN.  
INSPECT. ET PROF. P.

*Doctoris sui summè devenerandi,*

, Excerptis, atque in SOLENNI congressu  
Eodem PRÆSIDE

defendendas proposuit

CAROLUS LEMBKE, Durlacensis.

*Ad diem Maji 3. horis pomeridianis*  
M DC LXXXVI.

---

DURLACI,  
Typis MARTINI MULLERI.



VIRIS  
GENEROSISSIMIS  
ET  
NOBILISSIMIS,

DOMINO  
CHRISTOPHORO FRIDERICO BESOLDO,  
à STEKHOFEN,  
Seren. Princ. FRIDERICI MAGNI, March. Bad. & Hachb.  
Confiliario eminentissimo, Marchionatus Hachbergenfis  
Præfecto & summo & gravissimo.

DOMINO  
JOHANNI JACOBO CHRISTOPHORO  
à ROTENBURG,  
Ejusdem  
Seren. Princ. in Dynastia Röttelensi & Badenvvilensi Præfecto rei  
faltuariæ summo ac meritissimo.

DOMINIS  
MÆCENATIBUS, PATRONIS MAXIMIS, UT  
OLIM, PARENTIS, ITA ET SVIS,

*in æternùm debitæ  
observantiæ & gratitudinis tesseram,*

Disputationem hanc solennem humillimè  
Offeret, Dedicat  
devinētissimus Cliens  
CAROLUS LEMBKE.



DE

VOCATIONE MINISTRORUM ECCLESIAE.

THESIS I.



Vocationem ad Ecclesiae ministerium necessariam esse, non poterat ignorare *Becanus*, perinde à Lutheranis atque à Pontificiis doceri; nam illorum sententiam jam olim expresserant Augustani Confessores: *nemo debet in Ecclesia publicè docere, aut sacramenta administrare, nisi ritè vocatus.*

II. Ex utraque etiã parte docetur: vocationem aliam ordinariam atque mediatam, aliam extraordinariam atque immediatam esse.

III. Nec negari à Pontificiis quoque potest, in ordinariã quamlibet vocatione extraordinarios sæpe atque singulares intervenire motus, à Spiritu S. per verbum excitatos, quibus, qui ordinariè vocati sunt, ad peculiaria vocationis seu functionis suã opera, majori cum animi intentione atque rei ipsius successũ peragenda, præ aliis impellantur. Quo pacto Athanasius, ordinariè ad Episcopatum vocatus, extra ordinem, id est, supra vulgares Episcopos alios, à Divino Spiritu, ut Arianismum reprimeret, impulsus, majore, quam omnes alii, successu hæresin profigavit. Docentque ipsi Pontificii, ordinum, ut vocant, auctores, extraordinario Divino motu, ut ordines tanto cum successu conderent, incitatos esse, interque plurimos ad monachatum vocatos, unum præ alio, ut id vitæ institutum amplectatur, à Dei Spiritu impelli, inque ipso ordine jam suscepto unum præ altero ad singularia illius vitæ opera, majore, quam alii, alacritate, nisu, rigore, successu expedienda, instigari. Et quis unquam negavit, Divinos in quolibet statu Heroas, illius vel emendationem vel amplificationem, aut quodcunque aliud *Grande Opus*, successu & viribus, humano consilio atque ope superioribus, aggressos, quantumlibet ordinariè vocati fuerant, extraordinariè tamen ad opera illa à DEO destinatos, motos atque adjutos fuisse?

IV. In ordinariã quoque vocatione omnia ordine atque decenter facta in V. Nque T. fuisse, & ad illius normam, Apostolique præceptum, adhuc hodie fieri debere, personam nempe, quæ vocanda est, esse eligendam, purificandam, ordinandam, atque ad usum & potestatem ministerii applicandam, neque Episcopos, sive, quod vox ista latinis sequiorum seculorum sonat, Superintendentes, Seniores aut Inspectores, cum aliis Sacerdotibus, Presby-

40.  
44.  
43.  
26.  
27.  
28.  
30.  
31.  
32.  
33.  
34.

teris aut Ministris, sive quoad dignitatem, sive quoad potestatem, in obediendis istis actonibus consecratoriis confundendos esse, disceptatione caret. Hoc solummodo controversum est, an electio ad solum clerum, an ad Ecclesiam totam, aut eum, qui jure sacrorum in Ecclesiâ gaudet, & an ordinatio ad solos Episcopos, an ad ministros quoslibet alios, Divino jute pertineat? An verò Ecclesiastico tantum jure & concessione atque melioris ordinis causâ exerceant Episcopi, quicquid hodie seculis cæteris Ecclesiæ statibus circa eligendos & ordinandos Ministros sibi arrogant? Et certè, quæcunque circa hoc argumentum à *Becano* adducuntur, non jus Divinum, sed consuetudinem solummodo Ecclesiasticam arguere, vel id indicio est, quod mera facta, seu, ut ipse frequenter vocat, *ritus*, eosque ab hodiernis sæpe diversos recenset, à quibus, fatente *Bellarmino*, ad jus Divinū illegitimè colligitur.

V. E contrario in V. T. Israëlitiçi populi Principes, Regesque, jus constituendi ministerii exercuisse, & N. T. Ecclesiam, priusquam Christianis Principibus gauderet, communi plebis suffragio & electione, ab ipsis Apostolis studiosè requisito, ministros cooptasse, ex plurimis exemplis, Act. I, 23. V. 3. 5. XIV, 23. XV, 22. II. Cor. VIII, 19. ita manifestum est, ut nonnisi frigidò effugio: *ex conniventia & concessione cleri id factum esse*, cujus nec vola nec vestigium in sacris est, declinare vim veritatis potuerit *Becanus*. Atque id jus iis verè competere, qui summo imperio pollent, hoc argumento convincimus: in quem à DEO collata est omnis potestas, quæ nullam excludit, ei & jus competit, curandi res sacras, ad Ecclesiam spectantes, adedque & eligendi atque vocandi ejusdem Ministros. Atque in eos, qui majestatem habent: judice Paulo, Rom. XIII, 1. & naturâ ipsâ, è communi gentium consensu relucente. Ergo. Id verò jus non posse salvâ conscientia aut debere citra totius Christiani populi *negotiorum* seu suffragationem à Christiano Principe administrari, isthoc argumento conficitur: quorumcunque est, probare suos doctores, sibi que à seductoribus cavere, ne quemcunque sine examine audientes in æternum animæ periculum incidant, ii à suffragio eligendi doctoris, quippe sine quo cautelam istam instituire non possunt, non debent aut possunt excludi. At verò populus. Ergo.

VI. Jam verò ordinatio Ministri Ecclesiæ essentiam tam non constituit, quam Regem non facit unctio, cum sit ritus, vocationem legitimè factam tantum declarans atque confirmans, qui salva vocationis substantia in ceremoniam quamlibet aliam, ut unctio in coronationem, mutari potest. Cujus cum absolutam ad ministerium necessitatem *Becanus* ex praxi primitivæ Ecclesiæ, eaque ad nostra usque tempora haud interrupta serie continuata, ita probat, ut ex ejus defectu Ecclesiæ Lutheranae ministros veros ministros esse neget, iterum à facto ad jus, & quidem à facto Ecclesiastico ad jus divinum immutabile perperam concludit, & de cætero perinde facit ac is, qui ex eo inficia-

infiaciaturus est, hodiernos Imperatores veros Romano-Germanici Imperii rectores esse, quod à Pontifice Romano non amplius, ut eorum antecessores, inaugurentur; cum ritus, qua auctoritate introducti sunt, eadem quolibet momento mutari queant; & putidum figmentum sit, nulli vel Scripturæ vel antiquæ Ecclesiæ fundamento subnixum, quasi jure Divino præter Episcopum nemo validè ordinare possit.

VII. De extraordinaria vocatione, quamquam, quæ disputat *Becanus*, sine damno nostro admittere possemus, non tamen ubique recto pede incedit. Falsum enim est, qui immediatè vocantur, *tempore missionis suæ nunquam docere errorem aut falsitatem*. Nam Apostoli immediatè vocati sunt, & tamen *Petrus* citra periculum peccati, in DEUM immediatè mittentem redundantis, ipso missionis tempore *haut rectè ambulavit secundum veritatem Evangelij*, sed gentilibus offendiculo fuit, atque idèd ei Paulus in faciem restitit. Gal. II, 14. Falsumque est, necesse fuisse, ut qui immediatè vocati erant, *certis ac evidentibus signis missionem suam confirmarent*. Nam neque de *Esaiâ*, *Jeremia*, aliisque Prophetis legitur, quod miracula fecerint; & de *Johanne Baptista* disertè: *Johannes nullum faciebat signum*. Joh. X, 41. Et quàmquam circa nativitatem ejus quædam miracula contigerint, ea tamen doctrinam, post triginta annos ipso missionis tempore ab illo prædicatam, apud eos, qui miracula ista nunquam viderunt, nec iisdem magis, quam novæ doctrinæ fidem habuerunt, confirmare hautquaquam potuerunt.

VIII. Atque his præmissis Thesis nostra & facile intelligi & probari facilius poterit: *Lutherus & Lutherani Ministri ordinariè & legitime sunt vocati*.

IX. In qua dum & *Luthero* & *Lutheranis* doctoribus dissensum objectat *Becanus* atque *Lutherum* ipsum, ex narratione famosi calumniarum architecti, *Pistorij*, decies & septies de vocatione propria sententiam mutasse, *Lutheranos* verò alios *Lutherum* ordinariè, alios extraordinariè, alios partim ordinariè partim extraordinariè vocatum asserere, fingit, supinam rerum *Lutheranarum* ignorantiam prodit, ut ex dicendis amplius enitescet.

X. Probaturo vero Thesis nostrâ exinde, quod *Lutherus* vocatus fuerit ab eo, qui tum vel jus vocandi, vel certè juris exercitium possidebat, nempe loci Episcopo. Ii enim, penes quos Divina naturalique constitutione jus residebat, aut qui suffragatione sua comprobare electionem debebant, censentur conniventia sua exercitium juris sui in Episcopos ejus temporis tacitè resignasse. Quemadmodum in rep. populari, ubi majestatis jura sunt penes populum, si vel vi vel fraude primates creandi magistratus jus longo temporis usu ad se tractum sibi falsò arrogaverint, facti ab ipsis magistratus pro legitime vocatis habentur, quia juris exercitium connivente, nec refragante, plebe illi exercent.

XI. Nec invalida redditur hæc vocatio per id, quod *Lutherus* Sacerdotium

tium Papisticum non verum Sacerdotium, sed larvam & figmentum vocaverit, cæterisque Lutheranis Ecclesia Pontificia sit meretrix Babylonica, sedes Satanae & Anti-Christi. Nec enim Lutherus vocatus est ad ministerium & professionem à Sacerdotio Papistico, qua larva fuit & sedes Satanae atque Anti-Christi, sed ab Episcopo, qua is jure vocandi & constituendi ministros gauderet. Juxta Baronium toto ferme seculo decimo in cathedram Petri intrusi sunt homines monstruosi, portenta vocat Platina, non Apostolici, sed apostatici, nomine tenus Pontifices, & mancipia Satanae, per quos sedes Petri in cathedram pestilentiae Anti-Christianam commutata est. Quid si quis cum Becano similem prorsus in modum concluderet? Si ita est, necessario sequitur, si ejus temporis Episcopi & Sacerdotes Rom. Ecclesiae per portenta, homines monstruosos, apostaticos, nomine tenus Pontifices, mancipia Satanae, perque sedem pestilentiae vocati sunt, nonnisi per monstra, portenta, pestem, meraque nomina vocatos esse, ideoque portentosos, monstruosos, pestilentes, Satanicos, mereque nominales, non veros, per integrum seculum fuisse Romanae Ecclesiae Episcopos & Sacerdotes. Nempe cum Lutherus Sacerdotium Rom. Ecclesiae larvam vocat & figmentum, alii Satanicum & Anti-Christianum, non sacerdotium secundum eam partem, qua monstruosum, qua apostaticum, qua Anti-Christianum est, qua fingit, per ordinationis christi, tanquam per indelebilis characteris quasi magicam impressionem, sacerdotibus potestatem communicari, creatorem creandi & sacrificium veri nominis, quod ignorat Scriptura, quodque figmentum est, offerendi, intelligit. Talis Sacerdos cum ordinatus fuerit Lutherus, larvatus utique hac parte sacerdos fuit, quousque hoc Sacerdotium exercuit. At cum præter hanc fictam potestatem sacerdotium Rom. Ecclesiae etiam potestatem habuerit prædicandi Evangelii, erroresque verbo Divino & Ecclesiae verae adversos refellendi, qua parte verum, non larvatum fuit sacerdotium, veram etiam, nec larvatam ad tale ministerium vocationem conferre per Episcopos potuisse, ultro intelligitur. Quemadmodum seculo decimo Rom. Pontifices, non qua nomine tenus ob immania flagitia tales fuerunt, sed qua solum Christi, tanquam alteri Pharisæi, occuparunt, Ecclesiae ministros ordinabant.

XII. Multo minus sequitur, si Lutherus legitime fuerit per Ecclesiam Pontificiam vocatus, hanc ipsam Pont. Ecclesiam fore veram Christi Ecclesiam. Quemadmodum per Pontificios non sequitur, si infantes per Ecclesiam Lutheranam fuerint legitime baptizati, Luth. Ecclesiam veram fore Christi Ecclesiam. Verum aliquid dicitur vel absolute, vel secundum quid. Sicut Neronis tempore, ob corruptissimos imperantis mores, Rom. Monarchia in larvam verae Monarchiae, id est, foedam tyrannidem degeneravit, sed tamen ob id nec imperandi jura, nec omnem verae monarchiae titulum, secundum ea nempe, quae in confusione ista inviolata manserant, amisit. Ex quo adeo non sequitur: Ministros Lutheranos, extra Ecclesiam Pontificiam vocatos, legitime vocatos non esse, ut contrarium aperte sequatur: qui enim à Luth. Ecclesia vocati sunt, ab Ecclesia, quae non tantum secundum quid, sed quae absolute vera est, vocati sunt, adeoque omnium maxime legitime vocati sunt.

XIII. Omni-

XIII. Omnium minime sequitur, Lutherum, postquam abusus Rom. Ecclesie impugnavit, seu placita Ecclesie abroganda, vocari. Eo ipso enim dum abusus tantum & errores Ecclesie taxavit, Ecclesiam ipsam non impugnavit, sed nitro potius suo restituit. Quemadmodum ad monasterii regimen vocatus, vocatione sua non excidit, si monasterii vitia reprehendat & emendet, quamquam à vitiosis in monasterio ipsi objici possit, à monasterio vocatum monasterium impugnare. In vocatione intentio Divina ab humanis additamentis separanda est. Quicquid ab hominibus Divino instituto, quod huic adversum est, adjicitur, id in vocatione pro non adjecto habetur, cum Ecclesia contra DEUM nihil juris habeat, vocatione ipsa interea salvà manente. Ita qui à Phariseis vocati fuerant, poterant atque debebant legem Divinam docere: non poterant, neque debebant docere abusus, ex Patrum traditione legi Divinæ adjectos, sed vi ejusdem vocationis, in quantum illa Divina atque Divinæ legi conformis erat, reprehendere errores, à Patribus traditos, tenebantur, non obstante, quod à Phariseis ad propagandas Patrum traditiones essent vocati. Similem profus in modum hic sese res habet.

XIV. Porro Lutherum immediatè à DEO vocatum, à quoquam Lutheranorum asseri, non poterat confidenter dicere *Becanus: multi, inquit, videntur affirmare.* Cui breviter opponitur: *non videntur.* Elumbe est argumentum: quicumque dicunt, Lutherum esse vel angelum vel testem Apocalypticum, si statunt, Lutherum esse immediatè vocatum. *Nam certum est, inquit Becanus, & hunc angelum & duos illos testes à DEO extraordinariè mitti.* Quod: *certum est,* per: non certum, sed dubium, immò falsum est, aulla difficultate solvitur.

XV. Quamquam itaque cum larvis luctetur *Becanus,* quando operoso conatu immediatam & extraordinariam Lutheri vocationem, quam neque Lutherus, neque Lutheranorum quisquam defendit, refellit, ratiocinium tamen, quod Luthero obverti prudenter posse ait, Joanni Baptistæ, sui temporis Ecclesiam reformanti, iisdem profus verbis poterat opponi: *Hic monachus (Eremita Johannes) opponit sese universo orbi & præ se contemnit Augustinos, Cyprianos, Hieronymos (Elias, Hilleles, Judas) & totam venerandam antiquitatis (Judaicæ) auctoritatem, videt unanimum Christianorum (Judæorum & Synedrii magni) consensum, qui firmissimè hæcenus crediderunt, sanctam Ecclesiam Catholicam, (templum Domini, templum Domini, templum Domini) non posse deficere à verâ fide, propter promissionem DEI & infallibilem Spiritus S. assistentiam; (miseriordia mea non recedet à te & fedus pacis meæ non movebitur) Quomodo ob unius monachi assertionem contrarium nunc credam? Non poterat ovum ovo, quam ista inter se rectius comparari.*

XVI. Nec verò extraordinariam & immediatam vocationem efficiunt extraordinarii motus, à DEO in ordinario officio excitati. Nam nec illi immediatè, sed mediante verbi Divini meditatione, excitantur, nec excitantur ad rem quamlibet aliam, quam ordinaria officii opera, etsi majori cum auctoritate & successu, exequenda. Alias & Athanasio & Cyrillo & Augustino, qui sui temporis hæreses singulari præ aliis & heroico spiritu aggressi admirabili successu dejecerunt, immediata atque extraordinaria vocatio adscribenda foret. Quicquid in reformandi opere egit Lutherus, id vi ordinariæ vocationis, quæ ipsum jubebat veram Evangelii doctrinam & proponere & tueri, quamquam in eo opere majore, quam alii indutus Spiritu, majoreque, quam alii, gaudens successu, petegit. Justus itaque veritatem docere, non poterat à reformando manum abstinere, cum sine falsitatis refutatione veritas pressa lateat: justus autem ad Romanæ Ecclesie morem docere, non poterat obsequium præstare, quia hoc mandatum, priori additum, prius illud simul, atque DEI ipsius, mandatum, cui magis quam hominibus obediendum est, prorsus destruxit.

XVII. Si demus, ad extraordinariam vocationem miracula requiri, ad motus tamen in ordinariâ vocatione extraordinarios animi dispositio, vulgari superior, & effectus, communem

Annem operum aliorum sortem longè excedentes, sufficiunt. Tales fuisse, qui in Lutheri reformatione reluxerunt, eruditionem linguarum, præcipuè Hebrææ atque Græcæ, quæ plerique veterum, Scholasticorum in primis, destituebantur, & eloquentiam, etiam hostibus obstupescendam, doctrinæ ad verbi Divini regulam exactæ incredibilem efficaciam atque successum, ejusque contra apertas pariter atque clancularias hostium machinationes conservationem atque propagationem, animum item prorsus Divinum atque in immanibus periculis imperterritum, aliaque id genus, indubium illis est, qui de re tantâ sine animi passionibus judicant; quorum donorum excellentiam cum elevat *Becanus*, partim cæco affectu miserè abripitur, partim falsa esse supponit, quæ verissima esse ex verbo Divino constat, partim usitatis istorum hominum genio calumniis imperitorum aures obtundit. Quæ vel legitime vel recensuisse apud eos, qui sine partium studio decernunt, est refutandum.

XVIII. Ut verò Lutherus non extraordinariè, sed ordinariè vocatus est: ita & ceteri Ministri Luth. Ecclesiæ. Quicumque enim ad normam Scripturæ S. & antiquæ Ecclesiæ praxim à Ministerio Ecclesiastico explorati atque ad ministerium digni judicati, ab eo, qui sacrorum jure gaudet, ad certam Ecclesiam missi atque vocati, deniq; totius Ecclesiæ suffragiis approbati atque recepti sunt, illi legitime & ordinariè sunt vocati. Atqui Ministri Lutherani. Ergo.


XIX. Ad imbelles *Becani* argumentationes facile respondetur. Prima est: qui non sunt vocati à tali sacerdotio, à quali Lutherus vocatus est, illi non sunt ritè vocati. Atqui Ministri. E. Nam majori propositione limitatâ: qui non sunt vocati à tali sacerdotio, ratione potestatis prædicandi Evangelii & administrandi sacramenta, à quali Lutherus vocatus est, illi non sunt ritè vocati, minor falsa est. Nostrium enim sacerdotium, quod ad regulam Scripturæ S. in prædicando verbo Divino & dispensatione Sacramentorum consistit, longè verius sacerdotium est, quam Pontificiorum, quod, ut ex supra dictis patet, ratione fictæ potestatis missificandi, aliorumque sacerdotii abusus, larva tantum sacerdotii, non verum sacerdotium est, adeoque ratione hujus figmenti in alios propagari jure Divino nec potest nec debet.

XX. Secundæ argumentationis: quicumque non sunt ordinati ab Episcopo per manuum impositionem, illi non sunt legitime vocati. Atque Ministri Luth. Ergo; parim major laborat, cum ordinatio sit tantum ritus, vocationem legitime factam demonstrans, adeoque salvâ vocationis substantiâ possit omitti; partim minor falsa est, cum Lutherani ministri *per impositionem manuum presbyteris*, I. Tim. IV, 14. auctoritate Principum, qui Episcopali jure verissimè gaudent & ratione juris circa sacra non minus veri Episcopi sunt, quam Pontificiorum Episcopi, ordinentur. Quoad animarum verò curam & internam ministerii functionem Episcopi antiquæ Apostolorum Ecclesiæ omnes Ecclesiarum Pastores, qui item & Presbyteri, vocabantur, meræque Ecclesiasticæ consuetudinis est, quod postea differre à Presbyteris Episcopi cœperunt. Cum itaque Divino jure non nisi nomine differant Episcopi & Ecclesiarum antistites, ultrò sequitur, Ministros Lutheranorum, ab Ecclesiarum Lutheranarum Pastoribus seu Senioribus ordinatos, à veris jure Divino Episcopis, eoque, quam sunt Pontificii Episcopi, verioribus, quo eorum functio verbo Divino convenientior est, ordinatos esse.


XXI. Ex quo & ad argumentum tertium ultrò patet responsio. Si enim idèò Ministri Luth. non sunt veri ministri, quia non sunt ritu Pontificio ordinati, tum nec Rex Galliarum Rex erit, quia non est aut Hispanico aut Germanico ritu inauguratus, nec Principes imperii veri erunt Principes, quia nullo prorsus ritu consecrantur. Nempe rituum vel absentiam vel diversitatem rei ipsius vel negationem vel immutationem non inferre, etiam pueri norunt.


XXII. Concludimus ergo: *Lutherum atque Lutheranos Ecclesiæ Ministros ordinariè & legitime esse vocatos.*

Tantum.




















the scale towards document

quâ dividitur & colligitur ἐκκλησία, Ego  
qui è reliquâ turbâ, in peccatis strenuè la-  
cantur. Unde quoque Impiorum calumnia  
concurrere volentes ad eandem flagitiorum col-  
in quibus more bestiarum se volutant: 2. Pet.  
discriminis causâ, nominantur οἱ κατὰ  
peccati secundum Propositum, nempe Dei: per  
Atque hunc ordinem, à Prædestinatione  
ocatione illam, tanquam primû separatio-  
gradum, ipse Apost. docet: Rom. VIII, 30.  
um est JUSTIFICATIO: Idem ibidem: quâ  
nostrorum, & inimicitia inter Deum &  
nciliamur Deo, & iusti reputamur, ad Vitæ  
em obeundam: Rom. VIII, 33. & IV, 6. & V,  
21. Matth. XXV, ult.

GLORIFICATIO: Rom. VIII, 30. quâ vi-  
atô, Mundô, Morte (ultimo hostium: 1. Cor.  
is in facie Dei, vitam æternam & beatissi-  
II, 29. 37. & c. 1. Cor. XV, 54. Apoc. X, 3. 4.

XXXVIII.

rum, & quæcunq; sub illis continentur Do-  
ctæ (quotquot Peccati & Mortis imperio exi-  
rio justitiæ ac vitæ, ipsiq; Deo T. O. M. Bea-  
fonti, nos adducunt vel afferunt:) unicum  
CHRISTUS JESUS, Mediator ille Dei & Homi-  
Joh. XIV, 6. Act. IV, 12. 1. Cor. I, 30. & III, 11.  
Christus est, non solum quod Medius ac Interpres inter  
tercedat: sed & quod Media Salutis omnia hominibus  
num, Spiritum S., quô regenerentur: Joh. III, 3. 5. ac  
um resuscitentur, tum ad Vitam cum Christo in æternum  
gentur: Rom. VIII, 2. 9. 17. Gal. III, 13. 14. & IV, 4. 5.  
& IV, 30. Joh. XVII, 22. & Joh. I V, 13.

XXXIX.

TIO (ἀποβολή) est Decretum Dei æternum;  
us peccatoribus eos, quos non elegit, in perdi-  
uere, & propter peccatum Morti æternæ ad-  
d Justitiæ suæ inprimis demonstrationem.  
nem æquè Decretis Dei annumerandam, vel ipsa Electio